

LECTUS PROCRŪSTAE

Prologus

Procrūstēs -ae *f*

Procrūstēs, fīlius malus Neptūnī, habitat in vīllā magnā quae in monte Corydallō in Graeciā est. Multa cubicula in hāc vīllā sunt, Procrūstēs autem sōlus habitat. Neque homō est, neque deus, neque bēstia, sed Procrūstēs est improbus et ferus ut lupus. Is pecūniā sanguineque dēlectātur.

is... dēlectātur = pecūnia et sanguis eum dēlectant

Vīlla eius est prope viam longam inter duo oppida, Athēnās et Eleusīnam. Multī hominēs quī petunt haec oppida in hāc viā eunt (aliī equīs vehuntur et aliī ambulant). Hominēs quī ascendunt montem Corydallum fessī sunt. Nōn dormīre volunt in terrā sed in lectō, itaque quaerunt vīllam ubi dormīre possunt.

Ergō, haec villa magna Procrūstae, quae nōn procul ā viā est, ā multīs hominibus fessīs vidētur.

villa... vidētur = multī hominēs fessī villam Procrūstae vident

Scaena Prīma

Vir ōstium Procrūstae pulsat et Procrūstam interrogat: “Possumne hīc dormīre? Quaerō cubiculum cum lectō. Quot nummīs cōnstat?”

Procrūstēs laetus est. “Intrā, amīce! Nōn necesse est pecūniam mihi dare. Hīc sunt cibus et lectus sine pretiō! Sōlus in hāc vīllā magnā sum et nūllōs amīcōs habeō. Venī in ātrium! Ede! Bibe! Dormī!”

ēsse edō ēdisse vir pānem *ēst*

vir quī venit ad villam amicī suī, *hospes* est

Hospes quoque laetus est. Intrat vīllam et cibum ā Procrūstā accipit. Procrūstēs pōculum plēnum vīnī hospitī dat. Hospes pānem ēst et vīnum bibit dum Procrūstēs tacet eumque aspicit. Procul ā vīllā lupus ululat. Hospes videt Procrūstam tacēre et nōn bibere. Pōculum suum in mēnsā impōnit et Procustam interrogat: “Cūr nōn bibis, domine?”



vīnum ī *n*

Procrūstēs nōn respondet sed hospitem interrogat: “Amīcē, audīsne illum lupum ululāre? Putō eum cibum quaerere. Venit ē silvā ad ovēs meās.

Potesne audīre ovēs meae bālāre?”

Hospes: “Ubi est canis tuus? Ubi est pāstor?”

Prōcrustēs: “Nūllus canis est; nūllus pāstor. Lupus dentibus suīs ovēs meās ēst, ut nōs iam pānem edimus. Bēstiae sunt bēstiae; hominēs sunt hominēs; deī sunt deī. Bēstiae pariunt bēstiās; hominēs pariunt hominēs; deī pariunt deōs. Aliī volant; aliī natant; aliī ambulant. Tū ipse ad vīllam meam sine timōre ambulās et cibum quaeris; lupus quoque sine timōre ovēs meae petunt. Itaque neque canem neque pāstōrem habeō. Necesse est cibum convenīre ad bēstiam—ut ānulus meus ad digitum convenit, aut lēctus convenit ad corpus tuum. Tū autem fessus es! Ecce, cubiculum tuum.” Cubiculum post hospitem digitō mōnstrat.

digitus magnus nōn ad ānulum parvum convenīre potest; lēctus parvus nōn convenit ad hominem magnum (et homō nōn bene dormīre potest!)

Hospes: “Via longa est et nimis multum vīnī bibō... Fessus sum. Grātiās tibi, domine.” Hospes cubiculum suum intrat, ōstium claudit, et lectum iacet. Procrūstēs neque bibit neque dormit. Ānulum suum spectat dum audit ovēs bālāre.

Scaena Secunda

Hospes quiētus super lectum iacet ut mortuus. Nimis fessus est sed nōn dormīre potest. Oculōs claudit et sē interrogat: “Quis est hic vir? Cūr sōlus habitat, et ovēs sed nūllum canem habet? Cūr hic lectus tam—” Ōstium cubiculī eius aperītur! Hospes oculōs suōs aperit et videt Procrūstēs stāre ante lectum.

Procrūstēs: “Multī hominēs quī ambulant ad hanc vīllam iacent super hunc lectum, sed nūllī hominēs discēdunt.”

Capillī hospitis horrent quia hospes iam videt Procrūstam malum esse. Currere autem ē cubiculō nōn audet. Sentit cor suum palpitāre et audit sē spīrāre, sed sē movēre nōn potest.

Hospes autem interrogāre potest: “Cu-cūr nūllī hominēs discēdunt?” In oculīs eius sunt lacrimae.

Prōcrustēs: “Hahahae! Lacrimae tuae mē dēlectant. Nūllī hominēs discēdunt ā villā meā quia homō quī neque pedēs neque crūra habet nōn ambulāre potest!”


neque pedēs neque crūra habet

Hospes videt Procrūstēs tenēre cultrum magnum et clāmat: “Deī bonī!

Quid agis, O male? Hospes tuus sum! Nōs duo hominēs sumus!"

Procrūstēs rūrsum rīdet: "Esne hospes meus? Potestne ovis 'hospes' lupī esse? Leōnēs et hominēs nōn amīcī sunt; neque lupī et ovēs. Ego malus sum, sed nōn tantum homō: fīlius Neptūnī sum. Deī nōn pariunt hominēs! Dīcisne tē hospitem meum esse? Necesse est hospitibus meīs convenīre ad lectum meum! Sed hic lectus nōn tam longus est quam corpus tuum…"

Scaena Tertia

Hospes tacet. Neque sē movet neque spīrat. Cor eius nōn palpitat. Procrūstēs ante lectum stat et spectat sanguinem rubrum quī dē corpore hospitis fluit. Procrūstēs duo crūra eius sūmit impōnitque in mēnsā. Sacculum quoque hospitis, quī plēnus pecūniae est, sūmit. Laetus est, atque vir malus nummōs in sacculō numerat. "...Quīnque, sex, septem—" Procrūstēs cōnsistit atque tacet. Quid audit? Alius vir ōstium pulsat et clamat.

Procrūstēs ē cubiculō in ātrium ambulat. Per fenestram, videt virum

ante ōstium stāre. Hic vir est magnus, et Procrūstae vidētur esse neque homō neque deus... Quis est? Procrūstēs clāmat: "Quod nōmen tibi est? Quaerisne cibum et cubiculum?"

"Salve, domine. Mihi nōmen est Thēseus."

